Crescentiis, Petrus /de; Rusius, Laurentius: Ruralia commoda, Libri XII ; Hippiatria sive marescalcia

Italien, 14. Jh. Seite 253r



Omnium insitionum melior est similium in similia scilicet genus ut piri in pirum et vitis in vitem. ¶ In nimis duro stipite incongrua est insitio quia in eum venas radicales immittere nequit. ¶ Sed in eo in quo pura est durities et multa suavitas optime convalescit. ¶ Surculi inserendi sunt steriles sucosi de novo nati gemmis spissis et pluribus oculati et ab orientali potius quam ab alia parte decisi. ¶ Diversitas in malis et piris et ceteris fructibus ab insitione arborum eiusdem speciei tota processit. ¶ Insitio in magnis arboribus quibus cortex grossus est et pinguis inter lignum et corticem fiat. In subtilibus vero fit convenientius fisso ligno. ¶ Licet insitio multis temporibus fieri possit ea tamen precipua est que fit eo tempore quo gemme incipiunt esse suspecte. ¶ Veteri arbores gummi producentes antequam ipsum fluere incipiat convenienter inseruntur. ¶ Insitio ad bucellam fieri non potest nisi cum iam cortex separatur a ligno. Est autem optimum fissum ab una parte bucelle apponi et vincule firmitate relinqui donec bucella comprehendisse videtur. ¶ Insita planta nutrimentum a stipite trahit in tantum quod postquam convaluit vix permittit tantum sub nodo aliquid pullulare. ¶ Omnis insitio quanto inferior tanto melior. Nam fructus magis domesticat et melius convalescit.

Si vetustarum arborum scindantur radices et infissuris lapides immittantur melius attrahunt nutrimentum et sic aliquando fiunt fertiles quas sterilitas invadebat. ¶ Innovatur plantis per abscisionem ramorum redit iuventus nisi iam pervenerint ad ultimam senectutem. ¶ Omnis planta domestica subtracto cultu silvescit precipue si ad sabulositatem et arenositatem convertatur. Et omnis silvestris domesticatur adhibito cultu. ¶ Cultus in domesticandis arboribus in convertendo firmando vel adequando

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1070/0525
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG